ORATIO

IN LAUDEM HEBRAI-
cæ linguæ.

ADOLESCENTI GENEROSAE
indolis Bernardo Gualthero Lipſenſi,
ſuo dilecto, S. P.

PLANE mihi pſpicere uideor, quantum ijs debeamus, quorum conatũ hactenus iſta rerum intemperies ab ingenuarum artium ſtudijs neq; reprimere, neq; impedire potuit. Perſtiterũt, pauci licet, eruditi Ephebiæ formatores. Extiterunt, pauci licet, ciues, qui literarum precium æſtimantes, filijs deſtinatis datiſq; in hoc præclariſſimum uitæ inſtitutum, ſcholas dilabi in uniuerſum paſſi non ſunt. Vobis præterea adoleſcentes plurimum debebit poſte-

rius

rius ſeculum, cui ipſi eximie com-
modabitis, quod, inquam, uelut
in ueſtra manu futurum non ſine
gaudio conſideramus. Literæ ar-
cem in rebus adminiſtrandis atq;
gerēdis ſemp tenent. Quo magis
Bernarde ſuauiſſime, in id omnis
incumbito, unde poſt uoluptatē
etiam capies, non tantum dignita
tem conſequeris. Hæc tua ætas la-
bore conterenda tibi eſt, ſi fructū
referre uelis. Cura modo, ut in
laudata iſta antiquitate, pbatiſſi-
ma quæq; ſecteris, et caue, ne te iu
diciorū diuerſitas ac ingeniorū ua
rietas huc atq; illuc diſtrahat. Ce-
terum hanc orationem demon-
ſtratiui generis, quā Erphurdiæ,
ſi per quorundam inuidiam ru-
dimēta Hebraica tradere licuiſſet,
in

in Academia ante ſeſquiannū am- plius publice habiturus fueram, tibi, quando promiſi, dono, non ſolum nuncupo: ſiue ut hinc ipſe ad amorem ſimul & admirationē ſanctiſſimæ linguæ ſoliciteris: ſiue ut iuuentus Lipſica, ſi quæ ſe huic ſtudio dedicauit, in propoſito ho neſto firmetur. Non iam ſuppe- tijt, quod donarem tuo ingenio & ætati conducibilius. Adieci le- ges, quibus mihi in inſtituendo Nepote meo antehac opus fue- re, ijs pueri ſcholaſtici, ſi deſint compendioſiores, ſuo bo- no utantur. Vale.

Islebij, xx. Mar- tij, Anno 1534.

Oratio

ORATIO

IN LAVDEM LINGVAE Hebraicæ.

SI NVNC infantiæ iuxta ac inſcitiæ meæ, auditores candidi, rationẽ haberẽ ullam, profecto quiduis citius, q̃ in eum conſcenderem locum, in quem uideo doctorum hominũ cum ſurrectas aures, tum coniectos oculos. Quo fit, ut niſi inde expectationi omnium anxiæ ſatis fecero (ut non ignoro periculũ) & ronchos auferam minime iniuſtos, & uobis horam, ſumptum quippe precioſum, iſto ſermone ſuffurer. Verum cum conſidero, qua de re uerba facere ſtatuerim, & animo meo contemplor, q̃ cupide id uos audire geſtiatis, non

equidem

equidem possum nõ audere, atq; quod uolebam in medium proferre, confidens uestrum fauorem magna ex parte paruitatem dicentis adiuturum. Res ea, crede mihi, dignissima est, ad quam prædicandam atq; ornandam eloquentissimorum quorumq; ora certatim exerceantur, idq; non rei per se satis laudatæ, sed studiosorum ad amorem adq; admiratione͂ huius rapiendorum gratia. Dicturus enim sum de linguæ Hebræę maiestate ac eminentia. Hanc cũ maiores haud abs re sanctam dixerunt, & eandem ad religionem pertinere certum est, non paulo decentius professioni meæ fuerit, in eius uersari laudibus, q̃ si aut fictum aliquod pro scholæ more

 decla-

declamarem, aut aliquem Heroa
aſſentandi ſtudio celebrarem, aut
euentum heſternum lucri ſpe de-
fenderem, aut in hoſtem odij di-
ctamine intonarem. Vos, quæſo,
rem benigne diligenterq; audite,
cuius deprædicandæ gratia huc
acceſſi. Et quoniam de lingua di-
cendũ eſt mihi, uotis cõprecamini
omnibus, ut a ſuperis lingua de-
tur, quæ expediundis cœptis par
ſit. Solet uero cum primis de re-
rũ, ſi quas tractandas ſuſcipimus,
inuentione quęri, ut uidelicet tan-
to in maiore precio id ſit, q̊d at-
tollimus, quò plura retro ſæcula
numeret. Equidem ſi uetuſtas rei
dignitatem adauget, nihil dignius
lingua Hebręa ſit oportet, utpo-
te, quæ neq; a Mercurio, neque a
Cadmo

Cadmo, neq; a Phœnicibus, neq; Palamede, neq; a Simonide, neq; ab Euandri matre, ſed uel a Moſe, quod tradit Euſebius, uel ab Abrahamo, ſicuti uiſum eſt Philoni, uel (ut ad orbis initium recta regrediar) a liberis Sethi, ſi q̄d Ioſepho credimus, originem ducit (ut uideas fide carere, q̄ quidam dicunt, Eſram inueniſſe Hebræas literas) Nec ab hac ſententia longe abeſt Plinius, literas Syris repertoribus uēdicans. Quantillū uero diſſonet, ſi quis Syriace loquat̃ & Iudaice, neminē puto uel ſemidoctorum fugit. Ferūt Enochum ſcriptum opus reliq̄ſſe ante cataclyſmum, & ea opinio firmatur Thaddęi atq; Tertulliani graui elogio. Si ſcripſit igitur

Enoch, his profecto literis scripsit, quas postea ab Heber filio Sem Hebræas appellauere. Eat nunc qui uolet, & Græcas literas Hebræis antiquitatis prærogatiua anteferat, ut sunt multi impij nugones, qui non uerentur eas ceu barbaras irridere, idque ut ipsi sibi nō uident inerudite, Græcitatis cæco quodam amore, malentes Herodotum aut Euripidem, quam Esaiam aut Ezechielem legere. Certe Iosephus, quē haud immerito Græcum Liuiū appellant, negat Græcas literas ante Homeri ætatē extitisse. Quod si extitere, uix tamen uerisimile est, eas ante Lini Orphei & Musæi extitisse tempora. At quid horum ętas est, ad Sethi, Enochi & Abrahę ætatem colla-
ta?

ta? Iam quo antiquior est lingua Hebrea, hoc & diuiniorem et augustiorem quoq; eam esse cõstat. Vox Dei Opt. Max. huius linguæ adminiculo ad humanas aures puasit, atq; hoc eo etiam tempore, quando ne Graiũ neq; Latium nomen in orbe esset. Is deus se a Mose huius linguæ notulis, Ero qui Ero, nominari uoluit, Qua nimirum origine descendit sacrosanctum illud & ter adorandum ADONAI, quod ob reuerentiam ἄφραστον habent. Atque adeo deus Hebræorum & dici & esse gaudet. Quonã dialecto egressæ sunt ex ore dei Hebreorũ dulciss. pmissiones, blandissima solatia, iustissimæ minę, deniq; potentiss. quæq; uerba ad patres Hebreos,
 nisi

nisi Hebręo? Quo sermone cecinit tam suauiter Dauid, Heman & Iedithun? Quo sermone multifariam locutus est nobis deus in prophetis sanctis? Quo sermone tradidere nobis Israëlitici historiographi tot Adonai nostri prodigia, tot uirtutes, tot edicta, & ipsas adeo populi Iudaici res gestas, nisi Hebræo? Arca sacra in tanta religione apud istam gentē habita, continebat uerborum decada. At cuius erat linguæ decas illa? an nō Hebręæ? Iesus dei summi unigenitus, seruator mundi, non solum apud Hebræos nasci uiuereq; uoluit, sed etiā Hebræis Hebraice loq. Vnde quanta gloria linguæ huic nostræ accedat, quis nō uidet? O linguam omniū

longe

longe præcellentiſſimam, o pri-
mã, o nunquam pro merito neq;
laudatam, neq; laudandam. Quis
piorum nõ ammiretur, imo quis
non ſupplex adoret characteres,
ſyllabas, apices, quos ſanctiſſimo
atq; diuiniſſ. ore egregie inſigni-
uit ſacroſanctoſq; mire reddidit
cœleſtis doctor? Paulus Euange-
lij buccina incomparabilis non ſo
lum Hebræum ſe eſſe gloriatur,
uerũ idem etiam diſſerere ad po-
pulum Hebręo idiomate amauit,
præbens argumentum, quantæ
curæ Euangelicis hominibus il-
lud eſſe debeat. Quid de uno Pau
lo dico? An nõ doctrina noui Te
ſtamenti tota ab Apoſtolis omni
bus primum ſparſa, atque huius
pſidio Eccleſia fundata eſt? Quor

ſum attinebat, ut Ioannes Euan-
geliſta toties mentionem linguæ
Hebraicæ in ſacro ſcripto faceret,
niſi ad laudum eius cumulum im-
menſum? Ais, Chriſtus Chaldai-
ce, non Hebraice locutus fertur.
Atq ego utranq; linguam id tem
poris adeo unam eandemq; fuiſſe
autumo, ut utra locutus fuerit,
Hebraice tamen locutus legatur,
non Chaldaice. Scio gentem Iu-
daicam e Babylone paululũ mu-
tata lingua reducem Hieroſoly-
mam ueniſſe. Scio toto poſt tem-
pore uſam Babylonica ſeu Chal-
daica, cui aſſueuerant. Neq; tamẽ
hoc exprimunt ſcripturæ, opinor
propter ſummam linguarum affi
nitatem, aut ne gloria gentis inde
minueretur. Nam quur propha-
nos

nos Chaldæos titulis immeritis honeſtent? Quur dominū ac apoſtolos Syriace locutos eſſe affirment, ob pauculas atq; leuiculas finalium quarundam ſyllabarum diſcrepantias? An non Hebræa lingua, Chaldaicæ (quam et Aramicam, Syriacam, Aſſyriacam cognomines licet) matrix una ſolaq; eſt? Vtra uetuſtior? Num Chaldaica? Minime. Ea enim poſt catacly ſmum primum exorta ſcribitur, & exorta a uicinia Hebraicę. Rectiſſime itaq; legitur Hebraice locutus Dominus una cum Apoſtolis, non tam ꝙ eſſent Hebræi ex Hebræis, q̄ ꝙ conuerſarentur in Hebręorum terris, ut non addam de origine ac primatu Hebraiſmi. Fateor, ſunt uoculæ ali-

quot in Euangelio Chaldaiſmū ſpirantes, quas eſt effatus Dominus. At una atq; altera duntaxat in cauſa eſt, cur minus Hebraiciſſimæ ſint. Igitur ne propter illas uariatiūculas perexiguas, ſuppreſſo Hebræo nomine, Chaldęa appellatione rem totam cenſebo? Niſi uererer immodicā orationis prolixitatem, exemplis collatis declararem uobis auditores, quanta ſit utriuſq; ſermonis ſimilitudo, unde plane intelligeretis, ſcripturas non abs re Hebraice, non Chaldaice, locutum dominum ac Apoſtolos atteſtari, quamuis conſtet, uocabula quædam Syris q̃ Iudęis uiciniora eſſe. Neq; tamē aſſeuero, dominum ac Apoſtolos ſemper ea lingua locutos, quam Hebraicam

braicam uocamus. Populari ser-
mone sæpe eos locutos etiam, ne-
mini non uerisimile est. Dicunt
extare Matthęum in Hebraica li-
teratura, & is certe dominũ Chal-
daizantem coram audierat, Cur
igitur non Chaldæus Matthæus
extare dicitur? Paulus ad Hebræ-
os Hebraice quoq; scripsisse nar-
rat, Chaldaice non audiui, ut ma-
xime illa sæcula Chaldæã amur-
cam resipuerint. Sed autoritatem
atq; dignitatem sanctissimæ lin-
guæ uix disertissimus rhetor uer-
bis assequatur. Cõpendio dicam,
quantũ uestra poscit pietas. Hæc
lingua a nullo homine repta, nec
inuecta, sed a diuino spiritu pro-
cedens, in homines eius capaces
demissa est, Et ea ipsa usus est do-
minus

minus omnium, quando aperiret mysteria cœli reuerēda, Ea deniq; salutis humanæ primū instrumentū. Vos pro uestra sapientia auditores singula in animis uestris copiosius accuratiusq;, q̃ a me in p̄sentiarū dicuntur, reputetis. Cæterum fortasse erunt, qui eius linguæ sanctitatē cum maiestate eximia coniunctam, ut debent, reuereantur, illiq; palmam inter reliquas attribuant: sed abhorreāt ab ea addiscenda, partim, ut quæ nō ita multum utilitatis afferat, partim, quæ habeat plurimum difficultatis, nihil uoluptatis aut gratiæ. Erras homo tota uia, qui tale existimes. Et quid est per Deum immortalē, ut tanto nisu tantoq; conamine feramur ad non inutiles

les modo diſciplinas, uerũetiam cultoribus ſuis ſæpe pernicioſas, atq; hoc facimus inani decepti gloria, qua iam omnia metiuntur ſtolidi homines, de futura gloria parum ſoliciti? Equidem autor ego nulli fuerim, ut a diſciplinis humanioribus reſiliat, imo harum ſuaſor ſemp̱ ab amicis habitus. Illud modo queror, q̄ tā turpiter nauſeent quidam ad ea ſtudia, quę ſola diuina, coeleſtia, angelica, ſacroſancta ſunt, amplectentes interim neſcio quæ ſæculo huic conformia, terrena, prophana, ob ſordidum quæſtum & popularem auram. Dicite mortales, quæ uos habet ſpes? Num mundum hunc cũ Xenophane & Ariſtotele æternum ſomniatis? Fortaſſe mortales

uos

uos dici patimini, at esse non cre-
ditis? Fortasse cum Epicuro deũ
non curare hæc infima opinami-
ni? Fortasse animam immortalem
non sentitis, id quod sensit & M.
Tullius? Aut auerni pœnas pro
fabula ducitis, quas tamen credi-
dit apud Platonem Socrates, Ma
ro, Lucianus? Aut anastasim ge-
neralẽ cum Sadducæis & Valen-
tinianis, & Carpocratianis & Cer
donianis & Plinio diffitemini?
Quo uos nomine appellẽ? Chri-
stianos? Atq huiusmodi in Chri-
stianos haudquaq̃ cadũt. Dicam
doctos? Ii si essetis, melius profe-
cto deligentes, uilius abijceretis
omitteretisq;. Dicã homines phy-
sicos? At fuere olim homines na-
turæ ductu uiuentes longe alij,
quippe

quippe qui liquido intelligebant, pręſtare futura præſentibus, qui excellentiora ſtudio indefeſſo ueſtigabant, qui contemnenda atq; defugienda ea docebant, quæ tu ἄλογον ζῶον tã enixe ſectaris. Neq; tamẽ illi niſi homines erãt, humana ſanaq; ratione præditi. Iterum teſtificor, mè neminem ab ulla retrahere diſciplina. Hoc unũ ago, ut id quod eſt excellentiſſimum, prædicem, prędicando ſuadeam, ſuadendo ad ſalutarẽ eius rei fructum attraham, ꝗbus libeat. Humanis diuina præfero, & terrenis cœleſtia. Video maximopę opus eſſe urgentibus atque uehementibus monitis, quibus permoueantur ſtudioſi huius tempeſtatis. Irrumpunt nũc ad ęas modo artes,

quas

quas homo reperit, & quæ uel corpori, uel hæreditati conseruandæ conducunt. Hic desudant, hic unicam nauant operam, hic exercent ingenia. Omnẽ substantiam in has prodigunt, omnem ætatẽ in his conterunt, lactati spe caducorum commodorum. Theologiæ sola friget schola, uacua mœret, spreta iacet, posteaquam huc uenit, ut omnes fieri Hippocrates, Iustiniani, Cicerones ambiãt: nemo Paulus, nemo Hieronymus. Adeoq; apud quosdã prodigiose elegantes in eum contemptũ abijt Theologia, ut uituperij uice, si quãdo stomachus illis motus est, obijciant Theologiam huius candidatis. Alij rusticam et triuialẽ eam iudicant, uidelicet quæ

cuiuis

cuiuis aurigæ, lanio, tonsori, fosso
ri obuia notaq; sit. Sunt q̊s si ad
theologiã extimules, Monachis,
inqunt desertoribus Theologiã
iniūgito, Cito fit theologus: unus
sexternio Germanicorum scripto
rum ex Mimo facit Theologum.
Eiusmodi haurire inuitis auribus
cogimur. Eadem impudentia di-
cam an impietate repellit̃, linguæ
sanctæ propagatio, siquidem ex
eadem schola est Theologia &
Hebraismus. Obijciunt, ad Iudę-
os spectare eam literaturam, non
ad Christianos, ipsi neque Iudæi,
neq; Christiani, neque homines,
sed grylli. Alij causantur superua-
cuum esse, ut plures hebraicentur
q̃ interpretes Bibliorum. Alij ob
notularum deformitatem, pun-

ctorum insolentiam, præposte-
rum legendi morem, oris accom-
modatam uarietatẽ, & nescio ob
quæ alia minuta rem nobilissimã
respuunt. Alij non ob aliud He-
bræa uitant studia, nisi quia alios
eadem uitare cernant, nolẽtes ad
id applicare animũ, quod in nulla
esse celebritate intelligant. Isthæc
scilicet gratitudo nostra erga da-
torem bonorum? Nihil addam
amplius. Neque uero tanti mali
caussam inuenire possim, nisi ita
solere semp infimo haberi loco,
quicquid a Deo est singulare do-
num. Quo minus mirandum, ꝙ
uulgus Christianorũ, uelut ab-
dicato Christo seruatore, ter ma-
ledicto zabulo in tenebrarum fa-
ctis ex animo seruiat, quandoqui
dem

dem doctorum ordo ac ſal uulgi tam præpoſtere iudicans diuina faſtidiat, & ſe totum terræ affiget conſecretque. Sed ſatis longe digreſſum. Querelæ nunquam gratæ ſunt, ne tum quidem, cum forſan neceſſariæ erunt, quemadmodũ ueriſſime ſcripſit Liuius. Non uideo, quid uſpiam aliud agant et docti et indocti, q̃ q̊d poſtea, ſerius licet, deplorent. Si debetur fatis malum, age procedat, dum licet. Fœlicem uero qui ab hoc purum ſemet ſeruarit. Vos adoleſcentes hortor, ut rei magnitudine, maieſtate, prꝯſtantia, diuinitate, utilitate atq; neceſſitate expenſa, animos ueſtros ad hoc ſtudiorum genus confirmetis, ut ij qui ſe dei cultores eſſe norint, et ij qui

 non

non dubitent, de factis olim red-
dendam rationem, non Rhada-
manto, non Cædicio, sed Chri-
sto. Cogita etiam atque etiam,
quanto amore id cuiuis pio prose
quendum sit, quod dei est. Qua-
re te Theologiæ emancipa, regi-
næ uni atq; heroinę artium quot-
quot sunt. Hęc tibi æternas para-
bit sedes, & thronum altitonan-
tis tecum ex æquo diuidet. Hæc
demū philosophia est, quam diu
quæsitam nō inuenit docta Græ-
cia. Vmbellam huius uiderunt so
phi, ipsam nō uiderunt. Ad hanc
enisi sunt, sed uires recusarunt. At
nobis, nobis, inquam, cōtigit huc
penetrare, uidere, frui. O fortuna-
tos, si serio norimus oblatum ine-
narrabilium bonorum mare. Por

ro in

ro in Theologico ſtudio non ſa-
tis commode uerſabere citra lin-
guæ huius cognitionem, quemad
modum in bello citra armorum
præſidia uix ſalua cute diu dura-
bit miles. Perſuade tibi, nihil eſſe
utilius, nihil iucundius, nihil expe
titius huius linguæ ſtudio. Non
libet hic oratorijs uti collationi-
bus ad exaggerandam utilitatem
Hebraiſmi, rem ipſam conſidere-
mus. Primum ne ſcientia quidem
ulla eſt, ſi utilitatem tollas. Quid
enim ſcientia ſine utilitate ac fru-
ctu? Iam conſtat, eam non ſcienti-
am modo eximiam atque ſingula-
rem raramque eſſe, uerum etiam e coe
lo deſcendiſſe, id quod in ſuperiori
bus pro certo affirmauimus. Tum
loqui linguis inutile putas? Quaſi

non ea ratione fuerit impressa pe-
ctoribus mortalium doctrina re-
gni. Tolle linguarum usum, &
Euangeliũ omne sustuleris. Mi-
rum si quis de hoc ambigat. Ve-
rũ hoc cõmodi peculiariter ex lin
gua Hebræa capies, ut tutus ob-
ambulare p̱ interp̃tationes omni-
um possis, id quod alioqui nullus
feceris. Quotidie exoriuntur no-
ui scripturæ interpretes, quorum
quisq; pro suæ partis commodo
sacras literas transfert, in quibus
lustrandis nisi catus fueris, ilico
in errorem præceps eas oportet.
Si munitus sis huius linguæ sci-
entia, pergrassari uales absq; ullo
insidiosi serpentis periculo. Ma-
gnum est, mihi crede, interpretem
lectoris iudicium metuere, & ue-
rua for-

rua formidare doctarũ manuum. Continet illum hoc in officio, facit diligentiorem, facit percontatiorem, cohibet præmaturas editiones, & admonet ſæpius retractandum, nonumq; in annũ premendum(quemadmodũ & Flaccus, & in Epiſtolis Plinius etiam conſulunt) quod alioqui uix natum protinus publicandum exiſtimabat ſcriptor interpres. Hinc ſuſpicor fieri, ꝙ ijs qui Biblia Germanis donant, nõ admodum arrideat adoleſcentum in diſcendis linguis ſedulitas, ſiquidem uerentur magiſtros. Sed qualis fides iſthęc, qualis candor, alij dixerint. Præterea afferet hoc q̊q; emolumẽti linguę Hebraicę cognitio, ꝙ te de fidei Chriſtianę ueritate cer-

tiſſimum reddit. Exhibet enim il-
la tuæ religioſę curioſitati fontem
ipſum & fundamentum ueritatis
ſcripturarum myſticarum, omni
excluſo dubio. Nam eum qui du
bitaturus erat de certitudine rerũ
diuinarum, eo pacto fulciendum
iudicauerim, ſi illi oſtendatur ſca-
turigo ſcripturæ ſanctiſſima, ut
eſt primum a deo per ſeruos ſuos
prophetas diſpoſita. Qualecunq;
hoc alijs, mihi certe maximum ui-
detur, & eo ꝓpemodum ceu mi-
raculo dei ſingulari, ſi quid diffi-
derem, ad Chriſtianiſmi fidem al-
licerer. Dubitare poteram de ſa-
cris literis, deq; harum authorita-
te, niſi me certum & ſecurum eſſe
iuberet fons ille lympidiſſimus a
tot ſæculis ſcatens. Affert lingua
hæc

hæc concioni quasi fulcra ac bases robustiss. addit concionatori uehementiam constantiamque. Nam quo est de scripturarum ueritate certior, hoc solidius, uirilius atque potentius docet & urget. Eidem subministrat materiã, de themate copiosius disserendi, dum aperit uim contextus ipsissimam. Transeo quantum conducat ad literariam pugnam, maxime ubi de religione & huius articulis disputatio incidit. Non unquam uidisti Hebræum æneи muri instar inuictum stare in cõflictu, quoties ad huius linguæ præsidium cucurrerit? Qui posset homo Christianus de Iudæo uictoriam reportare, nisi præsidijs sanctę linguæ? Transeo, quam ualde conferat linguæ He-

breæ ſcientia ad legitime intelli-
gendum enarrandumq́ libros ue
teris inſtrumẽti. Nodoſa loca ex-
plicat, obſcura elucidat, intricata
extricat, dubia certificat, breuiter
eſt magiſtra exponendæ ſcriptu-
ræ certiſſima. Tranſeo quantum
foecũditatis afferant doctis Theo
logis fonticuli iſti ꝓpriorum no-
minum Hebræorum. Innumeras
ꝓfecto allegorias, pulcherrimos
luſus, & ſeueriores etiam doctri-
nas plurimas peperit ꝓpriorum
etymologica interpretatio, quam
orbi donauit poſt Philonem Hie
ronymus: ſed ita, ut aliquid tibi
quoq́ agendũ reliquerit. Trans-
eo cætera commoda, quę confer-
tim ſui ſtudioſis ceu ampliſſima
præmia largietur. Nonne uides
contra

cõtra, quanta ſit miſeria iſtorum, qui linguas neſciunt: Pendere illi de interpretũ nutu cogũtur, quibus cũ aut bene ſentiunt, aut male. Credere coguntur, quæcunq; obtruduntur illorum manibus. In concionibus frigent, in diſputatione languent, in enarrandis locis ancipites huc atq; illuc feruntur, & ut quidã uerisſime inquit, alienis ingrediuntur pedibus, alienis cernunt oculis. Sed nolim infœlicitatẽ iſtorum traducere, quorum quidam partim ætatis uitio, partim præceptorũ penuria, partim laboris ſuſtinendi diffidentia a ſchola Hebræorum abacti eſſe uidẽtur. Colligere hinc quiuis poterit linguæ huius neceſſitatẽ, nedum utilitatem, ſalubritatem, precium

cium. Verum de ea disserere festinanti longius ęquo fuerit. Videamus nunc, an aliquid ea lingua iucūdius sit. Qui uoluptatem quærunt in momentaneis illis, quæ hoc sæculum admiratur atq; concupiscit, nę illi uel philosophorū gentilium iudicio fatui sunt. Qui delectātur in ingenuis artibus, eis id solatij concedo. Nulla tamē est solida ac uera uoluptas pijs animis, nisi in re pietatis. Iam uero nihil magis spectat ad pietatem, q̄ piæ literę. Qua igitur in re sese oblectet dei cultor, nisi in tam augustis, tam antiq̄s, tam sacratis, tam diuinis deniq; literis? Amoenissimum, sic me Christus bene amet, & perpetuo uernantissimum pratum est scriptura in suo idiomate,

& tot

& tot habet flores, quot uoces,
unde decerpere cuiq; liceat, quod
ſibi uſui eſſe putet ad iuſtitiæ cul-
turam. Eſt hortus delitioſus, Bal-
ſami diues, & omnis pomorũ ge-
neris, ſemper ſuaue olens, ſemper
ridens, ſemper formoſus. Deeſt
nobis ſermo in delectamento He
braici ſtudij attollendo. An non
uolupe eſt pietati hominis, eas ui-
dere literas, quas ipſa Maieſtas
ſumma inuenit? Quid putas de-
eſſe dulcedinis illi, cui eo loq̃ ore
obtigit, quo locutus eſt Chriſtus,
ꝓphetæ & Apoſtoli? Quid mel-
litius, quid gratius, quid deſidera
tius, q̃ noſſe etiam, quibus uerbis
orbi ſecreta ſua retexerit Domi-
nus, quandoquidem præſentem
audire non cõtigit? O immenſum

quiddam, nempe hominem mortalem callere linguam Dei. Non hic commemorabo, quantopere adficiat legentis animum intellecta lingua. Vnicum dei nomen in suo isto originali fortius figit sedem in credētis pectore. Mirum dictu est, quanto uehementius solетur atq; serenetur precans Hebraice, q̃ si quis Græce aut Latine precetur. Vim uiuidam addunt tibi uoces sacratissimæ, adeoq; sonus ille. Rapiunt te alio, et res pergūt occultis quibusdam gaudijs, ut alacrior a psalmodia discedas, & promptior redeas. Summatim animus in nulla lingua tam conquiescit & pacificatur, ut in Hebræa. Vt taceam per se delectare quamlibet scientiam, hanc uero

to magis delectare, quo est diuinior. Etenim non uulgare gaudiũ est, linguas alias iuxta hanc nostram conferre, et ad hanc ceu Lydiã regulã omnia exigere, omnia dijudicare trutinareue. Ipse Hieronymus sæpe miratur eius linguæ dulcedinem, non dubium, quin eam iterum atq; iterum expertus. Hæc atq; huiusmodi uos quoq; experiundo potius discite uiri Christiani, si mihi minus fidei datis. Porro qui causantur difficultatem linguæ huius immodicam, uehementer errant. Fortasse reris te eam una diecula, & citra laboris molestiam cõsecuturum. An est sine labore uirtus? Adeoque qđ sine labore dulce aut honestũ? Dic mihi, quot annos Ro-

manæ linguæ addiſcendę dediſti?
Horum dimidium imperti He-
bręæ. Nec refert, ſi non cõſcendas
ad ſummum, Satis eſto, ſi in me-
dio conſiſtas. Eſt aliquid, pauca
poſſe intelligere. Non exigo a te
Epiſtolas Hebraicas, marte tuo
ſcriptas, non colloquia Hebrai-
ca, nec aliorum omnium ſcripto-
rũ dictorumue intelligentiam, ſed
illud uolo, ut Biblijs adſueſcas
Hebraicis, ut phraſin & idiomata
imbibas, ut uocabulorum ratio-
nes rimeris, ut ex his translatio-
nes iudices. Breuiter, ut animum
tuum his literis obfirmes, ceu ue-
re Hieroglyphicis, uere Sibyllinis
uere Delphicis. Illud forſan quoſ-
dam remoretur, quo minus ani-
mos ad ſancta iſta ſtudia adiun-

gant

gant, Nimirũ ꝙ audiunt uix pau-
cissimos scriptorum Ecclesiastico
rum Hebraice doctos fuisse, un-
de consequi, non adeo fructuo-
sam, nec tam ad res Theologicas
necessariã esse linguam istã. Hic si
patienter me audire dignabimini,
expediam uobis isthuc obiectum
q̃ potero breuissime. Ab Aposto
lorum & aliorum ex circumcisio-
ne obitu, nacta est Ecclesia uiros
antesignanos ex gentilitate, idq;
tam in oriente, q̃ occidente, quo-
rum alij Græci nati erant, alij La-
tini. Quos autem tum ex Iudæis
acceperit, obscuri nobis sunt &
incelebres. Nolo enim hic commi
nisci eos, qui ex ijs accepti in Eccle
siam, postea Iudaizantes, hæreses
inuexerunt. Quoniã igitur Chri-
 stia-

ſtianiſmus ad Græcas & Latinas gentes reciderat, & ſacræ ſcripturæ Biblia iam Græca Latinaue habebantur, factum eſt, ut progreſſu temporis inter pleroſq; obſoleuerit Hebrææ linguæ exiſtimatio. Enimuero notum eſt ex Irenæo, et Auguſtino, quo deſiderio Ptolomæus rex Lagi filius apud Alexandriam Eleazari pōtificis Hieroſolymitani opera Hebræos arcanarum literarum codices, per ſeptuaginta ſeniores in Græcanicum ſermonem uertendos curauerit, ut tantus theſaurus, ad quē ſolis Iudæis aditus patebat, allophylis etiam euulgaretur, nec hoc ſine Dei conſilio ac prouidentia. Preterea nemo neſcit, alios poſtea ſenioribus hiſce ſucceſſiſſe interpretes

pretes Græcos, uidelicet Symmachum, Aq̄lam Pontium, et Theodotionem Ephesium, Iudęos proselytos. Istorum igitur laboribus contenti scriptores Ecclesiæ ueteres, Hebræorum fontes neglexerunt, non cõtempserunt, atq; hoc præceptorũ magis, sicut ego quidem opinor, inopia, q̃ rei ipsius fastidio. Sed heus, igitur non uis e fonte dulcissimo bibere, posteaquam in gustũ dati tibi sunt Grę̄ci riuuli? Eliges ne amẽs pro ꝓtotypo deuterotypon, aut etiã tritotypon? Nõ obluctor, quo minus deames ac usurpes septuaginta interpretes una cum successoribus, sed ea lege, ut primas Mosi ac Prophetarum primario stylo tribuas. Scio amice scio, quantum
 autori-

autoritatis isti uiri apud uetustissi
mos quosq; obtineant, prӕsertim
apud Irenæum, Hilariũ, Ambro-
sium & Augustinum, qui acriter
dimicant pro illorum maiestate
minime omniũ uiolanda. Atqui
non deserenda ꝓpterea Hebrӕo-
rum autoritas, quæ tanto maior
est, quanto antiquior, et hoc emi-
nentior, quo diuinior. Cõdonan-
dum aliqd Aurelio arbitror, qui
mordere nõ dubitauit Hierony-
mianas ad Hebræum uersiones,
præ immodica quippe septuagin
ta admiratione. Satis ulti eũ sunt
errores quidam ex Hebrӕæ lin-
guæ ignorantia ab ipso exorti.
Equidem non ualde non placere
mihi possunt Latini scriptores,
qui quum hebraicari non liceret,
saltem

saltem ad Grȩca se tanto contule-
runt studio. Nam da mihi unum
ex uetustissimis Latinis Theolo-
gum, qui Græce nescierit, & qui
non proprias ferme uersiones ex
Græco in suis scriptis usurparit.
Quo magis excusandi nobis sunt
de Hebraismi imperitia, & hoc
magis tu incusandus uidere, qui
Latinus duntaxat theologus esse
uis, originales & genuinas literas
nō ita magnipēdens, quæ nisi exi-
sterent, ne Latina quidem habe-
res. Diuus Hieronymus esto exē-
plar colēdi id genus studij. Hunc
ob oculos pone, hunc imitare. Is
patefecit uiam ad Hebrȩorū ady-
ta, dignus profecto, non dico, qui
in Olympia aureus stet, & Argi-
uum gestet clypeum, sed quē cun-

ctæ ſcholæ ceu patrem ſuum te-
rant. Aquila is in nubibus eſt, &
talis, ut plures habeat qui inuide-
ant, q̃ qui ipſum exęquent. Is e ma
tre lingua quæſiuit ueritatem con
textus, diues in rerũ ſcientia, aliis
interim mendicantibus. Quin tu
itaq; ipſe ipſe potius tibi para fa-
cultatẽ, dũ licet, ne quando opus
eſt, cogaris uel ad Iudæorum per-
fidiam cõfugere, uel incerta alio-
rum conſulere interpretamenta.
Vir ille in Paulæ Epitaphio cum
uellet ſanctę huic linguæ tribuere
laudem maximam, ſic inquit: He-
bræam linguam non deſero, ne
ipſe ab ea deſerar. Teſtatur ibi-
dem Paulam hanc conſequutam
eſſe eam linguam, ita ut Pſalmos
Hebraice caneret, &c̃. Exemplar
item

item eſto Origenes, qui, Euſebio teſte, addidicit Hebręæ linguæ uirtutem, ut uel agnoſceret qualia eſſent, quæ a Iudæis Hebraicis literis leguntur, uel quæ eſſet Grę corum interpretum diuerſitas cerneret. Nam exapla columnatim compoſuerat non minus fœliciter q̃ mirabiliter. Propone tibi Nicolaum Lyranum in ijs literis exercitatum, adeo, ut Iudæorum proles eſſe credatur. Propone tibi Paulum Epiſcopum Burgenſem, et Galatinum. De Capnione quid attinet referre, quem totus orbis, ut linguæ huius oppreſſæ uindicem fortiſſimum iuxta ac peritiſſ. ſuſpicit, colit, amat? Adeoq; ſi nulla eſſet cauſa, cur hebraicari in animū induceres, ſat, puto, cau

ſę foret, ꝙ tot modis pugnant in-
ter ſeſe Græci interpretes ſeptua-
ginta et poſteriores illi tres. Quid
igitur cõſultius, q̃ ad certam illam
atque natiuam ſcripturam ſe ad-
plicare, quæ ſola ſibi conſtat, ſola
non errat, ſola rata, firma, ꝓbaqꝫ
eſt, citra quam in ambiguo relin-
quere miſer & miſerandus? Non
detraho interpretibus, ſed hoc q̊d
interpretati ſunt, undeqꝫ nomen
interpretum ſortiti ſunt, prędico.
Eos ꝓpemodum inuidioſos fece-
rat Hieronymo Auguſtinus ſua
iſta improba laudatione, quæ cũ
iniuria ſanctæ linguæ coniuncta
erat. Habes hac tempeſtate in ui-
uis uiros egregios atqꝫ ſummos,
quibus uti magiſtris eius linguæ
queas: quorum ſi unum atqꝫ alte-
rum

rum habuiſſent Græci Latinique ueteres, mirũ ni omnẽ nauaſſent operam in addiſcẽdis Hebraicis. Quin & librorum Hebraicorum copia caruerunt, nondum uidelicet reperta Chalcographica arte, qua leui negocio plurimi libri circumquaq; diffunduntur. Cunradus Pellicanus emeruit doctorũ candida ſuffragia. Huius diſcipulus Sebaſtianus Munſterus, bone Deus, qualis ac quantus uir? Quid ille rerũ Hebraicarum non exquiſiuit excuſſitq;? An uicturũ ſperas, qúi melius de Hebręorum ſtudijs mereri queat? Sacrarium quoddam eius linguæ is mihi eſſe uidetur, & ſcientiæ exoticæ pelagus. Hunc rogo uos amore ſingulari complectamini, hunc admi-

remini, huic linguis animiſq; fa-
ueatis, ceu uni, qui in humeros ſu-
os totum ſanctiſſ. literaturæ ne-
gociū ſuſceperit. Volphgangus
Capito æterna quoque memoria
digniſſimus iudicatur, ob labores
maximos, quibus id ſtudij com-
pluſculis iam annis fideliter adiu-
tat. Horum illuſtrium catalogo
quid uetat attexere Matthæum
Aurogallum, Antonium Mar-
garetam, Ioannem Buchſenſtei-
num, & eos, qui nobis Biblia &
nuper Prophetas in ſupiore Ger-
mania Germanice reddiderunt,
licet notæ illis infames inurantur:
Maxime celebrandos exiſtimo,
quamuis mihi ignotos, q̊s Mun-
ſterus in p̃fatione triplicis Lexi-
ci commemorat. Tales uiros no-
bis

bis offert Germania noſtra, o adoleſcentes, Nec putandum eſt, Galliæ ac Italiæ deeſſe ſimiles, Inter quos ſine controuerſia Santes Pagninus arcem ſummæ laudis iure obtinet. Hos itaq; quotquot paſſim uiuunt, uobis ceu ſtimulos quoſdam cœlitus eſſe datos exiſtimate, quorũ recordatione fiat, ut euigiletis ad tam diuinas, neceſſarias, ſalubres literas. Auditis magiſtrorum eſſe copiam, uidetis codicũ optimorũ referta omnia, cognoſtis rei commoda multiplicia, Quare huc animos cõuertite, Abſit pudor, inſcitiæ alendæ autor, Procul exigite diffidentiam, & difficultatis opinionẽ. Is cuius eſt peculiare munus lingua iſthęc, audenti aderit. Perſuaſum habete

uobis

uobis præclarissimũ esse, dici Hebrgum. Quid enim est Hebræus, nisi περάτης, hoc est, transitor? Quicunq; ita ad futurã uitam transire festinant, merito Hebræos uocari conueniet. In eadem schola, cui te addices, sedent prophetæ, & cęteri Bibliographi, socij tui laboris & exercitatores. Hos Rabinos hodegosq; amplectere, nec, si obtemperes, dubito, quin ad bonã frugem breui euadas.

DIXI.

LEGES SCHOLARES.

VBI Grammaticã probe imbiberis, cum primis recte legere atq; pronũciare κατὰ προσῳδίαν adsuescito. Id quod facies, si bene latinis libris, uel non intellectis quotidie unam atq; alteram paginam ad aures magistri lectitaueris.

Eodem tempore è probatis dictionarijs uocabula latina ediscito. Ea altum memoriæ infigito, subinde memoriter apud temet numerato, aut numerata præceptori in dies accenseto. Ita fiet, ut cognitis Grammaticis pedetentim paretur latine loquendi facultas & materia. Auctariũ. Quicqd sub conspectũ uenit, id latine appellare suescito.

Enarrationem autorum accurate audito. Ea quibus accepisti, ijsdem uerbis prælectori reddito. Neq; enim, quod sciam, rectius quiueris.

Contextum enarratum ad grammatica præcepta unus examinato. Nihil in hoc uel minutissimum præterito. Qua ratione Syntaxim quoque traditam exercebis.

Auditum autorem in loquendo pro uirili imitator, indeq; tibi elegantias sagax enotato. Si est autor historiographus, exempla uitæ communi utiles memoria teneto. Si Ethicus est, uitam moresue tuos inde instituito. Potior uiuendi quàm loquendi cura semper esto.

Studium tuum in horas partitor. Vacuum tempus ne tibi dato, Hoc adagij subinde ob oculos reuocans: Nulla dies sine linea. Neq; tamen studij remissionem tollo.

Varios è munda papyro libellos usui literario fabricato, ne scribẽda misceas. Vnamquanq; rem suã in libellũ digerito. Is labor ualde tibi ꝓderit.

Illud

Illud etiã atq; etiam ſtudeto, ne in orthographiam imprudens pecces. Præterea ſatagito, ut uites cacographiam. Diſcito orationes commatis ac colis ſuis diſtinguere, & item uirgulis accentualibus uel acuere uel lenire dictiones.

Diſcito belle pingere. Suũ habeat characterẽ lingua germanica, ſuũ itẽ latina. Huius character eſto à typis Baſilieſiũ, illius uero ab aula petitus.

Germanicæ linguæ politiẽ ne negligito. Eam à ſupioris Germaniæ hominibus, nam illi integre loquũtur, petito. Caueto tamẽ, ne hos diligentius imitere Fageus. Nã alioq ꝑ laude riſum auferes.

Primã in hoc diligẽtiã adhibeto, ne qd ex ore tuo procedat, niſi Latinum. Quòd ſi idiotis idiotικῶς colloquendum eſt, ipſe tecum nihilominus pleraq; latinius latine & interroga & reſponde. Quo quid difficilius dictu eſt, hoc ſolicitius dicito, nec dũ dicere queas qeſcito. Auctariũ. A præceptore magno ſtudio extimulãdi ſunt ſcholaſtici pueri, ut latine, ſi nõ eleganter, omnia eloqui conſueſcãt. Quare puer aut latine loqtor, aut taceto.

Paßim & ex omnibus, ſi quid neſcias aut dubites, ſciſcitator, maxime os magiſtri tui quàm ſæpißime & poſita uerecundia conſulito.

Synonymis efferendis quàm maximam poteris operam dato. Variatis uerbis idem quinquies aut decies enunciato.

Cum æqualibus ſæpe diſputato, ut concertatiunculis ſcholaribus experiare, quantum profeceris. Eæ diſputatiunculæ petantur undeuis. Et protrahantur in medium, quæ audita, adnotata, lecta utriq; ueſtrum ſunt. Præſtiterit autē, ſi extemporarijs atq; ueſtra induſtria natis oratiunculis alter alterum laceſſat. Victus uictori rideatur, ſed parcius.

Singulis hebdomadis ſingula Epiſtolia ſcribito, præceptori caſtiganda. Harum conficiendarum ars naturæ ductamine & uitæ uſu facilime parabitur. Plurimum tamen conducet Epiſtolarum celebrium hominum lectio. Rerum materiæ ſcripturo paßim ſuppetunt. Deſcribendi ſunt quoq; euentus, quos coram aut audimus, aut cernimus. Ad hæc uertas latine licet, quotquot forte nanciſcare literas Teutonicas. Aliquando transferto paginam è libro aliquo Teutonico. Quæ tua induſtria conſcripſiſti latine, in linguā Germanicam uertito. Nam hinc elucebit, quantum profeceris.

Vbi eò ueneris latinus, ſubiungito Græcanicum ſtudium. Huius iacto fundamēto, addito Hebraicū, aut ſimul utriq; incumbito. Vtitor optimis & libris & magiſtris.

Abſolute latino, rationē ſtudij ſeuerioris ab Eraſmo magno petendam cenſemus.